

quitur, quàm cooperari omnibus, ut vulgò loquuntur Philosophi.

21. Animæ quoque *immortalitas* è superioribus confirmatur, quis enim Deo eripiat, quod ab eo solo tenetur? quis destruat quod solus ipse servat? Hæc tota scilicet est illa incorruptibilitas atque immortalitas, quæ animæ nostræ competit, quatenus talis est naturæ, ut à nulla creata vi destrui queat.

22. Est & illa singularis animæ nostræ *dignitas* atque excellentia, quod proximè atque immediatè à Deo pendet, non simul more aliarum rerum, v. g. terrestrium, aliis pluribus causis subjicitur. Sicut illæ civitates, illa dominia, quæ immediatè à Rege vel Imperatore pendent, nec plurium inferiorum regimini subsunt, præferri multum solent aliis.

EXERCITATIO XXVII.

An & qualem operationis divinæ, quâ mens nostra conservatur, perceptionem habeamus.

1. **S**uperest tantùm una difficultas, quam proponit D. Clerfelier, nempe, quòd, quemadmodum facilè intelligimus, nullam vim esse in nobis, per quam
nos